

# M E L L A R I I C O L L O Q V I A

E D I T I O P R I M A . 2



ROGERIVS STVDIOSISSIMIS PRAECEPTORIBVS S.D.

Hoc primum colloquium diligentissime factum est cum ad discentium omnium usum tum ludimagistrorum quibus partes sunt erudire iuventum. precamur ut vobis sit gratissima et quodammodo usui. si satis flagitio turbae mobilis fecerit, fortasse rursum ad fabricam redibimus.

Non modo compositum est ad expoliendam linguam, verum etiam ut monstraremus quandam docendi rationem. pupulos qui alioqui barbare aut mendose inter huiusmodi consessus garrire, elegantiores atque praecoci sapientia praeter aetatem finximus. ne dubitaris igitur utrum adulescentuli recte latineve loquantur, atque omnibus quae dicta sunt incumbe quasi e doctiore ore elocuta. fruamini. valete.

VI ID. MART.

## M E N D A C O R R E C T A

- 1) p. 2, l. 33: mutvai *meo grege invideri – meo gregi esse invisus*  
(ed. 1.1)
- 2) p. 3, l. 42-43: mutvai *cum eam historiam narrarem – eam historiam heri narranti.* (ed. 1.2)

## M V T A T I O N E S

- 1) addidi numeros marginibus. (ed. 1.1)

COLLOQVIVM I  
INTERPELLATIO

**PERSONAE:** MARCVS, VILLELMVS, PRAECEPTOR, TIMOTHEVS.

MARCVS: Villelme. Villelme.

VILLELMVS: mene alloqueris, mus? quid est?

M. habesne calatum quo scripta mea emendam. si iterum parum harundinosus captus ero,  
prorsus peribo.

5      v. hui me hydram existimas?

M. aenigma in tanto discriminе adhibes, fatue?

v. subinde amicis tenacibus credenti minime renascunt plures. nisi vis cum foenore.

M. age. dic quod velis.

v. istud tui laganum quod sum conspicatus.

10     M. age, recipio me daturum.

PRAECEPTOR: quid ego audio? fortasse glis aut mustella quaedam nostro concessui subrepit.

M. dabis veniam praceptor observande, calamus non erat mihi ad manum ac Villelmus dixit se  
mihi daturum unum.

PR. quid, miror, causae est quod calamo careas.

15     M. magna calamorum copia domi suppetit sed illic reliqui matre me ablegante foras ut in tempore  
ad concessum advenirem.

PR. sed non eras in tempore hodie mane.

M. vere dicis, magister.

PR. habesne aliud quod te excutiat ex his arctis faucibus. quid te remorabatur quo minus mature  
20    hic adesses?

M. nihil nisi quod obvius erat congerro meus, Maximus.

PR. quidnam novi cum Maximo? quidnam momenti dixit quod tam diu tibi impedierit?

M. nugas, magister. nihil quod tibi referre velim.

PR. in posterum, igitur, calatum afferre memento atque quam ocissime festinato ad cubiculum  
25    ne post signum sero adsis.

M. sedulo faciam, praceptor, benignus es.

PR. sed non possum, Marce, te amittere quin pauculas tibi poenas sumam.

M. aequum est. quicquid edixieris, libenter et aequo animo feram.

PR. tanti aestimo hanc tui culpam ut duo puncta tui gregis rationi demam. alterum quod p<sup>rae</sup>  
30 negligentia tuum calatum domi reliquisti. alterum quod interpellasti responsorum recitationem.  
verum aequus sum, Marce, ac volens tibi reddam horum alterum modo mihi nunc praebeas te adhuc  
fuisse attentum discipulum.

M. quonam pacto istuc praestabo? nolo quidem omnino meo gregi esse inquis.

PR. heri sermo erat obiter de Mithridate. num oblitus es?

35 M. memini.

PR. semel aut bis indicavi inter disserendum quot linguas Mithridates ipse didicisset.

M. vin' numerum divinem?

PR. meminisse non est divinatio, Marce. . . iam poteras dixisse.

M. numerus non succurrit sed divino septem.

40 PR. erras. fortasse aliquis in altero grege respondere vult. Timothee? quid censes?  
TIMOTHEVS. dixti, opinor, Mithridatem duas et viginti linguas didicisse.

PR. recte mones, Timothee. punctum meruisti. plane perspicio te mihi eam historiam heri  
narranti auscultasse. addidi, et alteri dempsi notulas duas.

M. atqui quot nobis, quaeso, supersunt?

45 PR. octo.

M. quot alteri?

PR. decem

M. heus!

PR. quid tristis es, Marce?

50 M. bolus excessit e faucibus. dies extremus est huius ludi ac mox punctorum summa erit ad  
praemiolum computata. qui illos iam vincere possimus?

PR. bono es animo, Marce. nos omnes interdum erramus. prudentis est animi discere ne eandem  
culpam bis iteres. paululo tantum intervallo praestant. caeterum etiamsi grex alter vincat, possunt  
lenire dolores poetae. nosti sane Maronis verba: *una salus victis, nullam sperare salutem.*

55 M. metrum exaudio sed minime agnosco.

PR. verba sunt Aeneae adhortantis ut victi socii in hostium examina ruant nimirum morituri.

M. quorsum istuc, praceptor?

PR. ut Aeneas, qui cum de salute desperaret, arma sua non abiecit sed gladio cinctus se coniecit in hostem quandam gloriae micam sibi comparaturus, ita te, qui praevolantem insequeris, oportet  
60 quantum possis, proficere ne devincaris, omnino eviratus omniique honore spoliatus.

M. recte mones. pro virili faciam.

PR. bene vertat tibi. et si fortuna vobis favaeat et satis strenuos vos praestiteritis fortasse victores evadetis. et tu alter grex, ne dormieritis. facito ut palmam feratis victores! sed nunc redeamus ad declinationes. meo utere calamo, Marce, donec unum tibi inveneris. en accipe.

65 M. amo te. age socii, ne cesseritis! magister Maronem modo citavit et imitans idem faciam: *fata viam invenient*. date operam.

PR. o lepidum caput! Vergilianes voces pulchre opportuneque adhibuisti. restituo punctum. nunc tranquillo adeste animo et mecum nomen declinate unde proxime destitimus:  
Therapontigonoplatagidorus, Therapontigonoplatagidori, Therapontigonoplatagidoro . . .